



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Tractatus De Statu Hominis Morali In Vita Et Post Mortem

Opfermann, Paul

Moguntiae, 1769

Angeli omnes ab initio ortûs sui gratiâ supernaturali vestiti sunt, non  
tamen beatitudine essentiali donati.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40701**

ræ ornamentis præditos existimat HUGO *Victori-*  
*fant.* nus, dum in *Summ. Sent. Tract. 2. c. 2.* scribit,  
 bonos omnes in primo creationis exordio fuisse,  
 id est, sine vitio. Non enim Creator optimus au-  
 tor mali esse poterat. Sed nec justè, nec injustè  
 tunc fuerunt, nec aliquam virtutem tunc habue-  
 runt. Qua in opinione etiam fuit PETRUS Lom-  
 bardus, qui in 2. dist. 3. initio bonos extitisse ait  
 Angelos, id est, sine vitio, justosque fuisse, id  
 est innocentes, sed non justos, id est, virtutum ex-  
 ercitiū habentes. Tum addit: Poterant enim  
 peccare, & non peccare, sed non poterant profi-  
 cere ad meritum vitæ, nisi gratia superadderetur,  
 quæ addita est quibusdam in confirmatione. Ea-  
 dem & Guilielmi Parisiensis opinio fuit, dæmones  
 sc. nunquam Dei gratiā præditos fuisse. Alii  
 contra & longè communiùs censent, Angelos  
 omnes, & ipsos adeo malos, ab initio conditùs sui  
 gratiā & virtute præditos fuisse. Angeli simul<sup>o</sup> ut  
 facti sunt (inquit S. AUGUSTINUS L. 12. de civ.  
 c. 9.) ei, à quo facti sunt, amore, cum quo fa-  
 cti sunt, adhæserunt: eoque sunt ab illorum so-  
 cietate discreti, quòd hi in eadem voluntate bona  
 manserunt, illi ab ea deficiendo mutati sunt, ma-  
 la sc. voluntate, hoc ipso, quòd à bono defecerunt.  
 Ac nequis de amore naturali ista intelligere possit;  
 mox addit S. Doctor: Et istam (bonam volunta-  
 tem) quis fecerat nisi ille, qui eos cum bona volun-  
 tate, id est, cum amore casto, quo illi adhærent,  
 creavit, simul in eis & condens naturam, & lar-  
 giens gratiam. Nempe Angeli omnes ad beatitu-  
 dinem supernaturalem à Deo ordinati sunt, ea le-  
 ge, ut illam per actus supernaturales meritorios  
 conse-

consequerentur; igitur necessaria illis fuit gratia supernaturalis *actualis*, tum ut mereri possent, tum ut finaliter perseverarent. *Quod adjutorium* (inquit S. AUGUSTINUS L. de corr. & gr. c. II.) *si Angelis defuisset, quoniam non talis natura facta erat, ut sine divino adjutorio manere posset, non utique suâ culpâ cecidissent; adjutorium quippe defuisset, sine quo manere non possent.* Nec gratiis solum actualibus Angeli tam boni, quam mali à Deo donati fuerunt, sed omnes gratiam quoque habitualem, & sanctificantem acceperunt. Ita PP. & TT. communiter, illudque colligunt ex illo *Ezech.* 28. v. 12. & seqq. *Hæc dicit Dominus Deus: Tu signaculum similitudinis, plenus sapientiâ, & perfectus decore: in deliciis paradisi Dei fuisti: omnis lapis pretiosus operimentum tuum: . . . Tu Cherub extentus & protegens, & posui te in monte sancto Dei: in medio lapidum ignitorum ambulasti. Perfectus in viis tuis à die conditionis tuæ, donec inventa est iniquitas in te.* Equidem ista ad literam de Rege Tyri dicuntur, sed ita, ut in sensu vero & à Spiritu Sancto ex communi PP. interpretatione intento *Luciferi* ruinae conveniant, cujus superbiam Rex fuerat imitatus. Certe gratiâ habituali fuit instructus primus homo: num Angeli à Deo minus perfecti fuerint creati? cum ista verò gratiâ simul Angelis infusi sunt habitus virtutum tum theologicarum, tum moralium, quia isti sunt veluti comites gratiæ sanctificantis. An verò Angeli gratiam sanctificantem meriti sint in primo instanti, an illa gratis infusa fuerit? non satis constat. Istud certum, de condigno illam non meruisse, quia ipsa gratia sanctificans meritum digni-

ficiat, ut condignum sit. Siqui Patres asserunt, Angelos & primos parentes in gratia conditos fuisse; id solum innuere videntur, quòd gratiam sanctificantem statim ab ortu suo acceperint, licet eandem de congruo meruerint. Nimirum Angeli, simul atque conditi sunt, omnibus ad agendum salutariter requisitis instructi potuerunt elicere actum supernaturalem, quo gratiam habitualement mererentur; ad hoc enim sufficit prioritas naturæ, nec temporis prioritas necessaria est. Ceterà Angelorum alii præ aliis uberiore gratiâ ditati sunt, sive pro naturæ diversitate, ut docet S. THOMAS I. P. q. 62. a. 6. sive pro ordinis, & functionis varietate in eadem specie, uti S. BASILIUS L. de Spir. S. c. 6. opinatur. Nolim tamen existimes, naturæ Angelicæ naturalem præstantiam habuisse quamdam meriti rationem in ordine ad gratiam; hoc enim sentire Pelagianum foret. Sed si ita est, ut multi opinantur; Deus ex mera bonitate in distribuendis gratiis ad naturam Angelorum respexit. Quo etiam modo Deus inter homines ad naturalem quamdam perfectionem attendit, atque hos ad ea aliquando eligit ex pura & mera misericordia & bonitate, ad quæ magis naturaliter dispositi sunt. Quamvis communiter in hominibus gratiam perfectioni naturali commensurare non soleat, sed *stulta Mundi & infirma eligit, ut confundat fortia.* I. ad Cor. I.

14.  
Meri-  
tum  
Ange-  
lo-  
rum.

Angelos ab initio conditùs sui statim beatos fuisse, ex antiquis nonnulli arbitrati videntur, veluti GENNADIUS L. de Eccles. dogmat. c. 62. quem citat S. THOMAS I. P. q. 62. a. 1. ita scribentem: *Tales creati sunt Angeli, ut, si vellent, in beatitudinis luce persisterent. Si autem vellent, etiam*  
labi

labi potuissent. Quod etiam S. FULGENTIUS indicat L. de Fide ad Petr. c. 3. his verbis: *Angeli atque homines, pro eo, quia rationales sunt facti, æternitatis ac beatitudinis donum in se à naturæ spiritualis Creatore divinitus acceperunt, ita sc. ut si dilectioni Creatoris sui jugiter inhæssissent, simul æterni beatique mansissent. Si verò propriæ voluntatis arbitrio contra summum Creatoris imperium suam niterentur facere voluntatem, protinus à contumacibus beatitudo discederet. Immo & S. AUGUSTINUS L. 10. de Gen. ad lit. c. 14. inquirendum proponit de diabolo: An aliquo tempore in sancto cœtu fuerit Angelorum, etiam ipse pariter justus, & pariter beatus? nisi velis, Patres hosce non de eo felicitatis gradu locutos fuisse, qui in aspectu Dei claro situs est, sed beatitudinis nomine intellexisse quoddam vitæ genus jucundum, & tranquillum, omnisque miseriæ & calamitatis expertus, ut docet ipse S. AUGUSTINUS L. de gr. & corr. c. 10, ubi, postquam Angelos sanctos de suo statu securos esse dixit, ita loquitur: *Diabolus verò, & Angeli ejus, etsi beati erant, antequam caderent, & se in miseriam casuros esse nesciebant; erat tamen adhuc, quod eorum adderetur beatitudini, si per liberum arbitrium in veritate stetissent, donec istam summæ beatitudinis plenitudinem tamquam præmium ipsius permansionis acciperent: id est ut magna per Spiritum Sanctum datâ abundantia charitatis Dei cadere ulterius omnino non possent, & hoc de se certissimè nossent. Et ibid. c. 11. Angeli Sancti cadentibus aliis per liberum arbitrium, per idem liberum arbitrium steterunt ipsi; & hujus mansionis debitam merce-**

dem recipere meruerunt, tantam sc. beatitudinis plenitudinem, qua eis certissimum sit semper se in illa esse mansuros. Atque hæc aliorum deinceps Patrum & TT. constans fuit opinio, videlicet Angelos ab ortu suo liberum habuisse voluntatis arbitrium, quo alii bene usi sunt, malè alii, & utrique pro diverso merito diversam æternitatis sortem nacti sunt. Itaque omnes Angeli gratiam sanctificantem meriti sunt de congruo, in primo sc. creationis instanti eliciendo actum supernaturalem charitatis, qua plenam perfectamque cum Deo amicitiam consecuti sunt unà cum jure ad æternam beatitudinem, conditionato tamen, si in accepta sanctificationis gratia perseverarent. Tum Angeli boni gratiâ sanctificante jam instructi deinceps meruerunt de condigno & ipsius gratiæ augmentum, & gloriæ. Quanto autem tempore duraverit Angelorum via: prorsus incertum est. Sunt, qui velint, Angelos eo ipso instanti, quo beatitudinem meriti sunt, eandem consecutos fuisse, malos autem ad infernum continuò fuisse detrusos in primo instanti temporis, quo lapsi sunt. Vero tamen propius est, plura intervenisse instantia, in quorum 1mo Angeli omnes de congruo meruerunt gratiam sanctificantem: in 2do *Lucifer* cœpit alios tentare Angelos, cui tentationi cesserunt mali, boni vero per novum dilectionis actum restiterunt. In 3tio factum est prælium magnum *Michaëlem* inter & Draconem: tum boni præmium, mali supplicium æternum acceperunt. Hæc autem omnia sat brevi tempore definita fuisse colligitur eo, quia dæmon lapsus primis diebus tentavit *Evam*.

Qui

Qui ex Veteribus corpora vel Angelis omnibus, <sup>15.</sup> vel dæmonibus assignabant, eorum plures horum Pec-  
 peccatum fuisse luxuriam opinabantur ex illo Gen. <sup>ca-</sup>  
 6. Cumque cœpissent homines multiplicari super <sup>tum</sup>  
 terram, & filias procreassent, videntes filii Dei <sup>Ange-</sup>  
 (multi legunt: Angeli Dei) filias hominum, quod <sup>lo-</sup>  
 essent pulchræ, acceperunt sibi uxores ex omnibus, <sup>rum</sup>  
 quas elegerant. At iniquum & planè insolens est <sup>rebel-</sup>  
 putare Angelos tanto post intervallo cecidisse, <sup>lium.</sup>  
 quos ante Adamum lapsos esse constat ex S. Scriptu-  
 ra Sap. 2. Invidia diaboli mors intravit in mun-  
 dum. Alii invidiâ lapsos esse Angelos putant.  
 Igitur creaturâ intelligibili priùs existente (inquit  
 S. GREGORIUS Nyss. Catech. c. 6) & unicuique  
 Angelicarum Virtutum certa functione, ad uni-  
 versi constitutionem, ab ea potestate, quæ præest  
 omnibus, attributâ; cùm virtus quædam existeret  
 ad hoc ordinata, ut terrestrem locum contineret,  
 ac moderaretur; ad idque præstandum corroborata  
 esset ab universorum Præside virtute, ac subin-  
 de luteum illud figmentum elaboratum esset, supe-  
 rioris illius effigies & imago Virtutis: (Hoc au-  
 tem animal homo erat, in quo divina intelligibi-  
 lis naturæ pulchritudo inexplicabili quadam vir-  
 tute temperata erat) indignè hoc tulit, nec tolera-  
 bile ratus est ille, qui terrenarum rerum curatio-  
 nem sortitus fuerat, quòd ex subiectâ sibi naturâ  
 substantia quædam esset condita, quæ ad excellen-  
 tis illius dignitatis similitudinem expressa foret.  
 Sunt, qui istam diaboli invidiam ita intelligant:  
 illum videlicet, cùm à Deo didicisset humanam na-  
 turam ad Divinitatis consortium assumendam esse,  
 invidiâ commotum, id iniquo animo tulisse. Sed

nulla istud Scripturæ, vel Patrum autoritate defenditur. Neque etiam probabile est, tantò ante patefactum hoc Angelis Mysterium, quod Angelis absconditum fuisse, satis colligitur ex Apostolo 1. ad *Tim.* 3. Prior autem illa invidia nimis serum Angelorum lapsum facit, quem ante primi hominis procreationem evenisse verosimilius est. Communis itaque fere sensus Patrum est, *Luciferi & Angelorum ejus sequacium peccatum fuisse superbiam propriè dictam: quæ est inordinatus propriæ excellentiæ appetitus.* Nam *Isa.* 14. dicitur: *Detracta est ad inferos superbia tua, qui dicebas: in cælum conscendam, similis ero altissimo.* Quæ quidem *Luciferi* superbia non ambiebat æqualitatem cum Deo secundùm essentiam: hanc enim impossibilem esse facillime intelligebat; sed quamdam cum Deo similitudinem adfectabat, voluntate efficaci cupiens, ut independens à Deo esset, nullisque ab eo præceptis gravaretur; sive etiam ut à gratia Dei non dependeret, seque solo beatus esset, semet ipsum idcirco pro fine suo ultimo constituendo cum aversione à beatitudine supernaturali sibi præcepta, & per gratiæ vires comparanda. Quod idem ut vellent ceteri, exemplo eos & suasionem inducere conatus est. *Malæ voluntatis initium quod potuit esse nisi superbia? initium enim omnis peccati superbia est. Quid autem superbia, nisi perversa celsitudinis appetitus? perversa enim celsitudo est, deserto eo, cui debet animus inhaerere, principio, sibi quodammodo fieri atque esse principium.* Ita S. AUGUSTINUS L. 14. de *Gen.* ad *lit.* c. 13. Et S. GREGORIUS Papa L. 34. *Moral.* c. 17. *Ei quippe (ait) à quo conditus fuerat, subesse*

esse despexit. Ita enim Deus super omnia est, ut ipse sub nullo sit. Leviathan verò iste ejus celsitudinis culmen aspiciens, jus perversæ libertatis appetiit, ut & præesset cæteris, & nulli subesset. Invidiam verò, qua Lucifer in hominem exarsit, posteriorem ipsius ruinâ fuisse, idem S. Pontifex docet in Libro Pastoralis P. 3. c. 11. scribens: De illo namque scriptum est: Invidiâ autem diaboli mors intravit in orbem terrarum. Quia enim ipse malignus spiritus adversarius noster cælum perdidit, condito ad hoc homini invidit, & damnationem suam perditus adhuc alios perdendo cumularit.

Angeli simul ac peccaverant, in infernum precipites acti sunt, quin vel spatio, vel gratia ad resipiscendum donati fuerint. Sic enim testatur S. PETRUS in ep. 2. c. 2. Si enim Deus Angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni delectos in Tartarum tradidit cruciandos in judicium reservari. Et S. JUDAS in ep. sua canonica c. 6. Angelos verò, ait, qui non servaverunt suum principatum, sed dereliquerunt suum domicilium, in judicium magni diei, vinculis æternis sub caliginere servavit. Non tamen ita in tartarum detrusi sunt, quin ex eo aliquando egredi permittantur, dicente Apostolo ad Ephes. 6. Non est nobis colluctatio adversus carnem & sanguinem, sed adversus Principes, & Potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiae in cælestibus. Et ibid c. 2. v. diabolum vocat Principem potestatis aëris hujus, cui se, obsequuntur, & subjecti sunt demones, qui in aëre degunt. Sic etiam Luc. 8. v. 31. demones,

16.  
Ange-  
lo  
rum  
rebel-  
lium  
pœna.